DE
CALLIÆ GRAMMATICA QUÆ ADPELLATUR TRAGŒDIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

CONSENSU ET AUCTORITATE

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE IMPETRANDORUM CAUSA

DIE XIX. MENSIS MARTII A. MDCCCLXI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICARDUS PIETZSCH

SAXO-ALTENBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. BOUTERWEK, PHIL. DOCT.
I. SPANGENBERG, CAND. PHIL.
H. VORETZSCH, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM

FORMIS PLOETZIANIS.

PRÆCEPTORI DILECTISSIMO

HENRICO EDUARDO FOSS

PRAEFATIO.

Duos abhinc annos cum tragicoru graecmorum lectionem cum artis metricae studio conjungere inciperem nescio quo pacto me ad minutias quasdam cognoscendas retulerim, dico trimetri jambici finalis syllabae elisionem, quam Sophoclem novasse Athenaeus (453) narrat. Quam in rem cum toto pectore incumberem non medius fidius mediocri admiratione affectus sum cum die diem docente Godofredum Hermannum adeo sibi non constare intellegerem, ut duobus locis elisas dictiones in fine trimetri Aeschylei (cf. suppl. 739 et Eum. 140) ponendas esse conjiceret: tantum aberat, ut comprobaret quae olim de apostrophi usu statuerat (cf. comment: ad suppl. 739). Consequens illud erat, ut in hanc quaestionem inquirerem; quod qua ratione facere periclitatus sim, si tibi explicavero ridebis. Persequebar enim fines trimetrorum tragicorum id agens, ut sermonis intra versuum fines conformationem atque ambitum cognoscerem: sic praesertim eos versus perlustrabam, quorum in fine conjunctio-

nes vel praepositiones vel dictiones omnino, quae conjungendi vim habent positae erant; quorum versuum eandem conditionem esse mihi persuaseram, atque eorum, qui elisionem finalis syllabae passi sunt. Mox vero intellexi, hanc quaestionem si ad exitum adducere vellem aliam mihi viam persequendam esse, nempe eam, ut grammaticam tragoediam, cujus ad imitationem Sophocles elisionem indulsisse sibi narretur, enodarem atque explanarem. Existunt sane quidem virorum doctorum commentationes, quae in his rebus explicandis versantur; sed horum virorum et tantam sententiarum diversitatem et tantam auctoritatem esse vidi, ut nescirem, cujus in verba jurarem. Igitur non irasceris mihi, quod bonam partem confectae viae iterandam atque, etiamsi hae res multis obstructae difficultatibus forent, numquam nisi eis cognitis ac comprehensis mihi conquiescendum esse putavi.

Facere non possum quin aliud aliquid commemorem, quod ad hanc rem tractandam me incitavit: videram enim Bernhardyum (hist. litt. gr. II. 2, 29) de grammatica tragoedia haec proferre: „Niemand hat die hier schwebenden Scrupel beseitigt; denn Athenäus macht uns wieder einmal unmöglich, von seinen gedankenlosen Excerpten Nutzen zu ziehen.“

Quae verba me statim ad fidem Athenaei perscrutandam permoverunt. Quae cum ita essent, exoptatissimum mihi accidit, ut Boeckhii, viri clarissimi, scholis metricis paschalibus anni MDCCCLX in Berolinensi literarum universitate institutis interesse possem: sic enim factum est, ut praeceptoris dilectissimi verbis edoctus atque inflammatus disputationem metricam, quam jam e manibus deposueram, rursus adirem eamque tertiae dissertatiunculae meae parti adderem.

Quamquam quid diutius ita disputo? Nescio enim quomodo factum sit, ut de re dicere ingressus de me plura quam volueram dixerim.

Et quoniam me minime fugit huic opusculo multa deese etiam atque etiam a Te peto B. L, ut si quando a vero aberraverim id juvenili aetati meae humaniter condones.

Caput I.

De fontibus grammaticae tragoediae.

Callias Atheniensis tragoediam grammaticam quae adpellatur composuisse dicitur (cf. Athen. 276 a, 448 b). Tragoediae illius memoriam solus conservavit Athenaeus (453 c. sqq), cujus verba post Meinekii curas emendata leguntur haec: ὁ δὲ Ἀθηναῖος Καλλίας, ἐζητοῦμεν γὰρ ἔτι πρότερον περὶ αὐτοῦ, μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενος τοῖς χρόνοις Στράττιδος, ἐποίησε τὴν καλουμένην γραμματικὴν τραγῳδίαν *) οὕτω διατάξας. πρόλογος μὲν αὐτῆς ἐστιν ἐκ τῶν στοιχείων, ὃν χρὴ λέγειν διαιροῦντας κατὰ τὰς παραγραφάς, καὶ τὴν τελευτὴν καταστροφικῶς ποιουμένους

ἔστ' ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα, θεοῦ πάρ' εἶ, **)
ζῆτ', ἦτα, θῆτ', ἰῶτα, κάππα, λάβδα, μῦ,
νῦ, ξῖ, τὸ οὖ, πῖ, ῥῶ, τὸ σάν, ταῦ, ὖ παρόν,
φῖ, χῖ τε τῷ ψῖ εἰς τὸ ὦ.

ὁ χορὸς δὲ γυναικῶν ἐκ τῶν σύνδυο ***) πεποιημένος αὐτῷ ἐστὶν ἔμμετρος ἅμα καὶ μεμελοπεποιημένος τόνδε

*) Quaeri possit, quomodo verba „γραμματικὴν τραγῳδίαν“ accipienda sint, „γραμματικήν“ adjectivum an substantivum habendum sit. Cui quaestioni respondendum est, quantum ad Athenaeum, hoc verbum tamquam adjectivum accipiendum esse, quod videmus e loco ejus 276 a, ubi haec leguntur: „γραμματικὴν συνθεῖναι τραγῳδίαν.“

**) Deus intellegendus est Apollo, cui εἶ litera consecrata erat; de vocalibus literis εἶ et οὖ pro ε et ο cf. Muretus var. lectt. l. XVIII.

***) Verbo „σύνδυο“ indicari videtur chori versus e duabus diversis partibus constare: „βῆτα ἄλφα — βᾶ.“ κ. τ. λ.

τὸν τρόπον, βῆτα ἄλφα βᾶ, βῆτα εἶ βε, βῆτα ἦτα βῆ, βῆτα ἰῶτα βι, βῆτα οὖ βο, βῆτα ὖ βυ, βῆτα ὦ βω. καὶ πάλιν ἐν ἀντιστρόφῳ τοῦ μέλους καὶ τοῦ μέτρου, γάμμα ἄλφα, γάμμα εἶ, γάμμα ἦτα, γάμμα ἰῶτα, γάμμα οὖ, γάμμα ὖ, γάμμα ὦ. καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν συλλαβῶν ὁμοίως ἑκάστων τό τε μέτρον καὶ τὸ μέλος ἐν ἀντιστρόφοις ἔχουσι πᾶσαι ταὐτόν. ὥστε τὸν Εὐριπίδην μὴ μόνον ὑπονοεῖσθαι τὴν Μήδειαν ἐντεῦθεν πεποιηκέναι πᾶσαν, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλος αὐτὸ μετενηνοχότα φανερὸν εἶναι. τὸν δὲ Σοφοκλέα διελεῖν φασὶν ἀποτολμῆσαι τὸ ποίημα τῷ μέτρῳ τοῦτ' ἀκούσαντα, καὶ ποιῆσαι ἐν τῷ Οἰδίποδι οὕτως·

„ἐγὼ οὔτ' ἐμαυτὸν οὔτε σ' ἀλγυνῶ. τί ταῦτ'
ἄλλως ἐλέγχεις;

διόπερ οἱ λοιποὶ τὰς ἀντιστρόφους ἀπὸ τούτου παρεδέχοντο πάντες, ὡς ἔοικεν, εἰς τὰς τραγῳδίας. καὶ μετὰ τὸν χορὸν εἰσάγει πάλιν ἐκ τῶν φωνηέντων ῥῆσιν οὕτως, ἣν δεῖ κατὰ τὰς παραγραφὰς ὁμοίως τοῖς πρόσθεν λέγοντα διαιρεῖν, ἵν' ἡ τοῦ ποιήσαντος*) ὑπόκρισις σώζηται κατὰ τὴν δύναμιν.

Ἀ. ἄλφα μόνον, ὦ γυναῖκες, εἶ τε δεύτερον
μόνον λέγειν χρή; Χ. καὶ τρίτον μόνον γ' ἐρεῖς.
Ἀ. ἦτ' ἄρα φήσω. Χ. τό τε τέταρτον αὖ μόνον
ἰῶτα, πέμπτον οὖ, τό θ' ἕκτον ὖ λέγειν
μόνον· τὸ λοίσθιον δὲ φώνησον τὸ ὦ
τῶν ἑπτὰ φωνῶν ἑπτὰ δ' ἐν μέτροις μόνον.
καὶ τοῦτο λέξασ' εἶτα δὴ σαυτῇ λάλει."

Haec igitur mirabilis illa Athenaei narratio est, quae jam epitomes auctorem tam mire perturbavit (cf. Schweigh. ad Athen. 453) saepeque virorum doctorum ingenia exercuit.

Nominandi sunt praesertim G. Hermanus (observationes de graecae linguae dialectis, in „opusc. I. 137 sqq."), Welckerus (Ueber das ABC-Buch des Kallias in Form einer Tragödie, im „Rhein. Museum I, 137 ff."), Bergkius (de relquiis comicor. antiquorum. 117 sqq.).

---

*) ποιήσαντος hic fortasse idem est quod προσωποποιήσαντος.

Viri illi clarissimi cum et acutissime et ingeniosissime in explicanda grammatica tragoedia versati essent, tamen non ita tenebras, quae in his rebus jacent, discussisse mihi videntur, ut ad umbilicum quaestionem adductam esse putem. Nec vero nescio, quam lubrico in solo versemur; nam quae ab Athenaeo de grammatica tragoedia referuntur e Clearchi Solensis *περὶ γρίφων* libris descripta sunt, cujus operis reliquiae fati invidia pro dolor! a solo Athenaeo servatae sunt ita, ut ejus narrationem neque cum aliorum conferre possimus, neque queamus judicare, quantopere hic ab exemplo suo recesserit.

Nec verendum est, ne Athenaei verba legentes Clearchum ipsum audiamus; quamquam enim ille proprium ingenium vel judicium a suo opere abstinuit, tamen non adcurate nec penitus ad verbum e fontibus suis transcripsit: saepe etiam fit, ut quae modo narrare inceperit, interrumpat aliis ac diversis; tota enim ejus oratio ad variae ac multiplicis eruditionis speciem composita est, non ad laudem adcuratae disputationis (cf. Schweigh. praefat. ad Athen. II. 8, Bernhardyus hist. litt. gr. II. 2, 29). Qua disputatione ne nimis acriter Nostrum perstrinxisse videar, argumento esse possunt quae ex ejusdem Clearchi scripto, qui Gergithius adpellatur ille in librum operis sui sextum (255d—257c) transcripsit. Narrat enim Clearchum in illo libro de assentatione disputasse atque edocuisse ea et assentatorum eorumque quibus assentarentur mores corrumpi, tum Paphium quendam puerum regium eum induxisse, qui magnae luxuriae indulserit. In hac igitur pueri luxuriae descriptione quamvis adcurate versatus esse videatur, tamen desiderantur gravissima quae in hac re sunt, dico commemorationem assentatorum, quibus puer regius usus sit. Nec fefellit nos de hac re opinio nostra, nam 256 f. commemoratur puerum illum tres adulatores habuisse, quorum jam supra commemoratio facta sit. Haec igitur sunt ea quae supra apud Athenaeum desiderari demonstravi: valde autem de hac lacuna Noster reprehenden-

dus est, cum consilium totius disputationis Clearcheae in adulatoribus commemorandis positum sit.

Sed haec sufficiant; satis superque enim demonstrasse mihi videor Athenaeo non nimis magnam fidem habendam esse. *)

Haec de Athenaeo; de Clearcho autem, e quo ille notitiam grammaticae tragoediae hausit, quid statuamus? Video Schweighaeuserum ad Ath. 590 e. duris verbis Clearchum perstringere: dicit enim „fatuum eum scriptorem et partim in exaggerandis partim in contorquendis rebus, quas attingat, ineptum esse, ut nec laudes ab illo profectae nec vituperia in alterutram partem momentum ullum habere possint." Nec vero putaverim haec prorsus recte a viro clarissimo disputata esse; nam si quid occurrit apud Clearchum obscurum, aut de quo quid facias haud liqueat, non jam dico licere nobis in solo Clearcho culpam exagitare, dico considerandum esse solam ejus memoriam ex aliorum commemoratione ad nostra tempora permanasse. Ceterum veteres, qui integra ejus opera ante oculos habuisse putandi sunt, non in absurdis scriptoribus eum habent; quod apparet eo quod Athenaeus ejus et supra septuaginta fragmenta nobis conservavit et honorificis verbis eum laudat dicens Clearchum nulli Peripateticorum posthabendum esse (cf. 701 c): similibus eum laudibus Flav. Josephus (contr. Apion I) effert. Accedit quod Athenaeus Cynulcum unum e convivis dicentem facit se verba Clearchi

---

*) 275 b. Athenaeus commemorans aliquid quod in Clearchi περὶ γρίφων libris contineatur, etiam verba ipsa, inquit, memoria teneo (κρατῶ γαρ καὶ τῆς λέξεως), unde Heigelius „über die Antigone und Electra des Sophocles." cap. 13 p. 274. demonstrare studet ea quae de grammatica tragoedia Athenaeus narret valde dubia esse, cum non ab exemplo descripta sed e memoria composita esse videantur: videtur igitur vir doctus sibi persuasisse Athenaeum totos περὶ γρίφων libros memoria tenuisse. Satis habeo contra hanc Heigelii sententiam commemorare Athenaeum quindecim suos libros e conjectaneis composuisse.

memoria tenere, quia admodum sibi carus sit (cf. 275 b): similem laudem vid. ib. 332 c.

Nec non ab aliis scriptoribus Clearchi verba et sententiae saepe commemorantur: sic Plutarchus eum commemorat (morall. p. 920 e), Jul. Pollux (onomast. II. § 146, 164, 185), Paroemiographi (pluribus locis), Laertius (hist. philosophor. I. § 30, 80), Aelian (hist. animal XII. 34) Hesychius (plus semel), Stobaeus (serm. XXI 184), Suidas (s. v. et aliis locis)*); Eudocia (Violar. p. 352), alii (cf. Verraert. de Clearcho Solensi p. 82—109). Ceterum fidem Clearchi adcuratius qui investigare vult perscrutetur oportet, num quae e Clearchi *περὶ ὕπνου* libro a Josepho (contr. Ap. I 22) et deinde ex Josepho rursus a Clemente Alexandrino (strom. I) et Eusebio (praep. ev. IX 5) narrentur suppositicia sint, an revera Clearchum auctorem habeant. De hac enim re virorum doctorum magna dissensio existit. (cf. Jonsius. de scriptt. hist. philos. p. 98, Meinersius. hist. doctrin ap. Graec. et Roman. I 212, Wormius. de corrupt. antiq. Hebraeor. ap. Tacit. et Martial. vestigiis.)

Sed jam hoc mittamus, cum non sit instituti nostri n hanc quaestionem nimis magnum studium conferre: id vero disputatione nostra nos effecisse nobis persuademus, ut si aliquanto plura in Athenaei narratione occurrant quae aut obscura aut contorta esse appareat, hoc Athenaeo magis quam Clearcho imputemus.

Caput II.

De ratione grammaticae tragoediae.

Accedamus nunc ad Athenaei narrationem, quam supra adscripsimus, explicandam, in qua tria diversa di-

---

*) falso tamen apud Suidam s. v. *ἐπαύρασθαι* nostri Clearchi mentio facta est, intellegendus est enim Clearchus Ponti tyrannus.

gnoscuntur. Primum enim tragoediae grammaticae versus adferuntur; his vel praecedunt vel immiscentur aliquot explicationes, quae ad tragoediam pertinent; tertio denique loco commemorantur quae Sophocles et Euripides ad tragoediae grammaticae normam in fabulis suis novavisse videantur. Tragoedia autem ipsa constat e prologo, choro et „ῥήσει φωνηέντων" (cf. C. F. Hermann. in Lucian de conscribend. histor. p. 6 *): et prologus quidem factus erat ex elementorum ordine ter repetito immixtis hic illic dictionibus, quas metrica ratio desiderare videbatur, velut „θεοῦ πάρ᾽", „παρόν", aliis. Hunc vero elementorum ordinem, quem Athenaeus in prologo adscripsit, legendo ter repetendum esse colligitur e verbis „καὶ τὴν τελευτὴν καταστροφικῶς ποιουμένους" i. e. finem prologi revertendo facere: de hac enim verbi „καταστροφικῶς," quod alibi non reperitur, sententia ab epitomes auctore docemur, qui hoc loco sic habet: „εἶτα καταστρέφει εἰς τ᾽ ἄλφα" (cf. Welcker. l. l.): finis autem prologi intellegenda est „ὦ" litera in extremo trimetro jambico posita, quod non ante versum undecimum fit i. e. elementorum ordine ter repetito (cf. Ephem. Jenens. a. CIↃIↃCCCVI. mense Octobri Nr. 250). Non recte igitur Hermannus (l. l.) „καταστροφικῶς" paullatim ad exitum pervenire significare atque ordinem elementorum ter octies in prologo repetendum esse statuit.

Sequitur chorus, qui constat e vocalibus literis cum consonantibus consociatis ita, ut per singulas strophas, quae septem versuum sunt, singulae consonantes literae canantur accinentibus ordine singulis vocalibus, unde apparet chorum septendecim strophas habere.

Ῥῆσις φωνηέντων denique, quae ab Athenaeo tertio

---

*) „Ῥῆσις est declamatio perpetua nec lyrico quodam numero sed jambico numero conscripta de ῥήσεσι cum omnino tum imprimis Euripidis, qui sophistarum discipulus illorum μακρολογίαν hac arte expressisset, v. Casaubon ad Theophr. p. 172." Conferantur cum his ea quae Hermannus (elem. 52) de ῥήσεσι ἀγγελικαῖς explicat.

loco ponitur, inter magistram et mulieres instituitur: hae enim septem vocales ita pronuntiare a magistra jubentur, ut haec recitatio septem versibus absolvatur: versus quidem illos, qui mulieribus jussu magistrae componendi sunt Athenaeus nobis non servavit, sed dubitari vix potest, quin similiter compositi fuerint, atque prologi versus; quod mihi quidem majorem veritatis speciem habere videtur, quam quod Hermannus conjicit eos e solis vocalibus factos et primum quidem talem fuisse „*α*, *ει*, *η*, *ι*, *ου*, *υ*, *ω*, *α*, *ει*, *η*, *ι*, *ου*".

Jam vero quaeritur, quid sub nomine mulierum lateat; de hac enim re viri docti in diversas partes discedunt: Welckerus quidem mulieres intellegit vocales literas: putat enim grammaticam tragoediam a literis agi, quae non ipsae loquantur, sed a discipula vel a magistra pronuntientur: in sermone, inquit, vocales literae, quibus nomen mulierum est, se ipsas proferre a magistra jubentur*). Haec sententia per se quidem probanda est, cum ea Graeci ingenii indoli conveniens sit, improbanda autem si eam ad grammaticam tragoediam referimus: sic enim mulierum non dici posset chorus, quippe qui e vocalibus et consonantibus factus esse. Quamquam haec leviora esse duco: magis obstant versus illi quinque jambici (cf. Athen. 454 a), quos Welckerus ad tragoediam nostram referendos recte suspicatus est:

κύω γὰρ ὦ γυναῖκες, ἀλλ' αἰδοῖ φίλα,
ἐν γράμμασι σφῷν τοὔνομ' ἐξερῶ βρέφους.
ὀρθὴ μακρὰ γραμμή 'στιν ἐκ δ' αὐτῆς μέσης

---

*) Liceat mihi, ut viri clarissimi sententia clarius intellegatur, integra ejus verba adponere: „Die *γυναῖκες* sind nicht Schülerinnen, sondern eben die sieben Vokale, und statt der Lehrerin ist daher der gewöhnliche Grammatistes oder Grammatodidaskalos vorzuziehen. Der Lehrer aber, oder auch der auswendiglernende Schüler heisst die Buchstaben sich selbst aussprechen; sie reden und figuriren gleichsam wie Marionetten, indem sie genannt werden und von und zu ihnen gesprochen wird. Im Beta Alpha ba singen Beta und Alpha das ba im Beta und E das be; oder sie werden in ba und be gesungen."

μικρὰ παρεστῶσ᾽ ἑκατέρωθεν ὑπτία
ἔπειτα κύκλος πόδας ἔχων βραχεῖς δύο.

In his igitur versibus animum attende ad verba „*φίλα* et *σφῷν*“, inde enim recte poteris mecum colligere mulieres, quae in tragoedia nostra nominentur, non septem, quod Welckerus statuit, sed duas tantum numero fuisse. Omnino autem sententiae, quam ille de consilio grammaticae tragoediae profert accedere non possum: putat enim eam ad scholae usum compositam esse, quod accipi non potest, nisi statuimus, quod ille revera statuit, praeter eos grammaticae tragoediae versus, qui ab Athenaeo adferantur, alios exitisse, quibus reliquae literarum conjunctiones atque consociationes, quae in libris elementorum leguntur, continerentur. *) Sed nullus video, quibus demum tormentis id ex Athenaeo elici possit (cf. Bergkius l. l.).**) Verisimillima mihi esse videntur, quae Hermannus de tragoedia nostra statuit, dicens in ea mulieres induci quae a magistra elementa doceantur: nec non in eo illi concedo, quod

*) Ueber den weiteren Inhalt der Tragödie im Allgemeinen kann kein Zweifel sein. Auf die Vokale folgten die übrigen Abtheilungen der Buchstaben, zunächst vielleicht die langen und die kurzen Vokale getrennt, dann die mutae, die liquidae und andere Gruppen und wahrscheinlich wie in sieben Versen die sieben Vokale, wie vermuthlich in 24 der Prologus ungerechnet die Wiederholung, so immer eine jede Anzahl der Buchstaben in gleich vielen Versen. Dazwischen gaben die zusammengesetzten Syllabirübungen nach den Klassen der Konsonanten gesondert, oder nach der Stellung zweier Konsonanten vor, nach, oder zu beiden Seiten des Vokals vom Alpha bis Omega zu andern Chorliedern reichlichen Stoff“.

**) „Illud nego ac pernego hanc tragoediam a Callia compositam esse ad pueros erudiendos; nam mihi quidem videtur consilium hujus operis hoc fuisse, ut praecepta grammatica de literis, de verborum compositione, de numeris, itemque de metris, quantum quidem ad tragicam artem pertinerent, ita proponeret, ut externa forma ipsi argumento esset accommodata. excitatus autem fuit Callias ad haec studia tractanda ut opinor Protagorae auctoritate, qui cum Athenas pervenisset Ol. 83 vel 84 non solum philosophiae viam et rationem, sed etiam rhetoricae grammaticaeque artis praecepta tradidit discipulis. Callias igitur ex ejus disciplina profectus haec praecepta tragoediae potissimum adaptavisse videtur.“

mulieribus literarum nomina imposita esse statuit; hoc enim e tertiae tragoediae partis significatione „ῥῆσις φωνηέντων“ conjicere licet: consilium autem tragoediae Hermannus putat id fuisse, ut Callias tragicos propter nimium in versibus exaequandis artificium irrideret; de qua conjectura quid judicemus infra accuratius explicabimus. Tragoedia igitur a magistra discipulisque agitur totaque ad scholae similitudinem instituta est. Et prologus quidem a magistra cum discipulis recitatur ita, ut postquam illa literarum ordinem semel recitavit, discipulae idem bis repetant. Sequitur chorus, qui a discipulis canitur, quod haudquaquam abest a more atque instituto scholarum, in quibus ejusmodi exercitationes a discipulis melodiis quibusdam factis cani solent.

Ῥῆσις denique duarum partium est, quarum altera, quam Athenaeus nobis non servavit, a solis discipulis recitatur, altera a sola magistra, praeterquam quod in versu tertio una e discipulis dicit: „ἦτ' ἄρα φήσω“; cujus quaestionis causa facile intellegitur: magistra enim omnes vocales literas, quas a discipulis pronuntiari vult nomine significat excepta tertia, quam numero tantum declarat (*καὶ τρίτον μόνον γ' ἐρεῖς.*); quod miratae et quasi incertae, quid illa sibi voluerit mulieres (omnes enim sub una intellegendae sunt) magistram interpellant. Non minus e scholae more est quod in septimo sermonis versu discipulae monentur, ut peracta recitatione secum recordentur quae didicerint (cf. Herm. ad verba: *εἶτα δὴ σαυτῇ λάλει*): magistra enim indicare vult harum recitationum summam eo redire, ut discipulae literas bene sciant easque memori pectore teneant. Maxime denique memorabile est, quod jubemur prologum legentes, *κατὰ τὰς παραγραφάς*“ dividere quae verba etiam ante *ῥῆσιν φωνηέντων* repetuntur. Paragraphas autem Schweighaeuserus (ad Athen. l. l.) intellegit signa quaedam, quibus in vetustis libris oratio distinguebatur, ubi ab uno argumento ad aliud transibatur. Quid ergo? elementorum ordinem ad argumenti quod insit mutationem signis distinguendum esse putemus? mirabilis sane res, quae tamen usu

atque instituto magistrorum fortasse defendi potest: scimus enim praeceptores elementorum ordinem (eadem conditio numerorum est) discipulos docturos non uno eum tenore decantare, sed hic illic in recitando vocem desinere pausamque facere; sic enim ordo elementorum in plures impares partes dividitur sicque efficitur, ut literae discipulorum animis facilius imprimantur.

Attamen mirum videri potest, quod notas illas, quae sententiarum sejungendarum munus obtinent, in hoc elementorum ordine admissas videmus, ubi argumentum, si de argumento omnino dici potest, in literis ipsis ordine digestis positum est. Sed concedes mihi magistram tribus vel quatuor literis comprehensis pausaque facta cum reliquas recitare pergit ad novum quiddam atque alienum progredi videri.

Quamquam quid diutius Schweighaeuseri errorem defendere studemus? erravit enim vir doctus in eo quod *παραγραφήν* idem valere statuit quod *παράγραφον*. Conemur igitur nunc evolvere, quod discrimen inter utrumque verbum intercedat. *ἡ παράγραφος* omnino ad separandas res a rebus, quae in connexu concurrunt adhibetur (cf. Montfaucon palaeogr. graec. p. 372). a lyricis ea in monostrophicis cuique strophae et antistrophae ad discernenda paria et imparia subscripta, a dramaticis ad separandos versus quorum diversa metrorum conditio est et interdum etiam ad significandos personarum alternatim confabulantium sermones adhibita est. v. schol. ad Aristophan. Plut. 253. „*ἐν δὲ ταῖς στροφαῖς καὶ ἀντιστροφαῖς καὶ τῇ μεταξὺ τούτων τῶν ὑποκριτῶν περιόδῳ παράγραφος τίθεται, ὡς Ἡφαιστίων φησὶν*“. ib. lin. 45 (qui locus etiam ex Hephaestione descriptus est). „*τῇ δὲ παραγράφῳ* (*χρώμεθα*) *ἤτοι* *) *κατὰ πρόςωπα ἀμοιβαῖα, ἔν τε τοῖς ἰαμβικοῖς καὶ τοῖς χορικοῖς μεταξὺ τῆς τε στροφῆς καὶ τῆς ἀντιστρόφου*“ (cf. Osannus anecdotum Roman. de notis veter. critic. p. 61 sq., Graefenhanus Gesch. der klass. Philologie II 98). Paragraphi igitur

---

*) In his Hephaestionis verbis *ἤτοι* particula mendi suspicionem movet (cf. Osannus l. l. adnotat. 3).

fere eadem conditio est atque *διπλῆς* quae adpellatur (cf. Osannus p. 63); quantum ad scholiast. ad Thucydidem quidem nullum plane inter utrumque verbum discrimen intercedit, dicit enim ad libr. I 12 „*τριχῶς διεῖλε τὴν ἀρχαιολογίαν, εἰς τὰ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, εἰς αὐτὰ τὰ Τρωϊκὰ, εἰς τὰ ἐχόμενα αὐτῶν. καθ' ἕκαστον δὲ μέρος διπλῆ παράγραφος κεῖται*". Forma paragraphi a scholiasta ad Ar. Plut. 253 sic describitur: „*παράγραφος, ἧς τὸ σχῆμα γραμμή τίς ἐστι βραχεῖα ὥσπερ τινὰ στιγμὴν ἐν τῷ ἄκρῳ ἔχουσαν.*" clavi igitur speciem praebebat (—•); saepius tamen hac forma appingebatur (Γ) (cf. Graefenhan l. l).

Diversa a paragrapho *ἡ παραγραφή* est. *παραγραφή* duplicem significationem habet. primum enim significat non certum sed quodcunque signum ad clausulam indicandam textui adscriptum, cujus rei testimonium habemus apud Arist. rhet. III 8, qui in expositione eorum rhythmorum, qui prosae orationi conveniant, paeonum genere prae ceteris designato, principio eum, qui a longa syllaba incipia et tribus brevibus desina, sub finem qui brevibus tribus incipia et longat finiatur, ponendum suadet, continuo causam his subjiciens: „*ἡ γὰρ βραχεῖα διὰ τὸ ἀτελὴς εἶναι ποιεῖ κολοβόν· ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαι καὶ δήλην εἶναι τὴν τελευτήν, μὴ διὰ τὸν γραφέα, μηδὲ διὰ τὴν παραγραφήν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν*". Ubi quominus v. „*παραγραφή*" simpliciter de termino ex re ipsa cognoscendo accipiamus obstat, quod simul *τοῦ γραφέως* mentio additur, ut de scripto termino dubitari nequeat (cf. Osannus l. l. § 20). Sed haec verbi vis rarior existit, saepius *παραγραφή* est nota personarum. cf. schol. in Aristoph. pac. 444 *οἱ πρότεροι στίχοι πρὸς τὴν ἄνω κατάραν λέγονται. εἶθ' ἕτερον συνάπται, πάσχοι γε τοιαῦτα. ὥστε καὶ παραγραφὴν εἶναι ὥστε ἐκείνου προειπόντος κατάραν ὁ ἕτερος τὸν λόγον ἐκδεξάμενος ἐπιφέρει.* ib. 1333. *ἐν τούτοις φέρονται κατά τινας παραγραφαὶ, ἵνα ὁ χορὸς ἀνὰ μέρος αὐτὰ λέγῃ.* in nub. 653. *τὴν παραγραφὴν* (*παρατροπὴν* libri) *ἐατέον μεταξὺ τοῖν δυοῖν.*

Sed ut revertamur unde profecti sumus, nego verbum *παραγραφήν* in Athenaei loco rariorem illam significationem habere; supervacaneum enim, ne dicam ridiculum, esset aliquem monere, ut in recitando prologo signa interpunctionis observaret: haec enim signa in qualibet oratione observanda sunt, si quidem recte quis ac bene recitare vult: *παραγραφαί* potius notae personarum intellegendae sunt; id autem ut secundum notas personarum tragoediae versus legendo dividendi sint cur Athenaeus duobus locis moneat, aptiore loco demonstrabo.

Haec hactenus: disputatione autem nostra id consecuti esse nobis videmur, ut Calliam grammatica tragoedia composita exercitationes, quae in schola elementorum fiant describere voluisse explicaverimus. Cum vera tragoedia autem Calliae figmento quid affinitatis intercedit? quod prologus jambicis trimetris continetur, quodque in strophis choricis melodia inest, quibus rebus nescio an aliud addi possit, quod, cum tragoedia nostra tota in literis versetur, in prologo ejus quasi in argumento totius fabulae simplex ordo elementorum enumeretur. At, si Athenaeum totam nobis Calliae compositionem adferre statuimus grammaticam tragoediam apparet multum a verae tragoediae imagine abesse; desiderantur enim et *ἐπεισόδιον* et *ἔξοδος* (cf. Aristot. de poet. cap. XII). Sed quod *ἐπεισόδιον* attinet memineris, quaeso, *ῥῆσιν φωνηέντων* e duabus diversis partibus consistere, quarum altera a magistra et discipulis recitetur, altera a choro discipularum canatur: sic vides partem tragoediae oriri, quae inter strophas choricas posita sit; „*ἔξοδον*“ autem grammaticae tragoediae parare possumus e versibus illis, quos Athenaeus 454 a. adfert, de quibus superiore disputatione egimus.

Hac igitur adumbrata grammaticae tragoediae imagine ad rem aliam transeamus. Scimus totam illam narrationem, quam Athenaeus de grammatica tragoedia adfert e Clearchi *περὶ γρίφων* libris desumptam esse (vid. sup.): igitur nihil mihi temere in eo facere videor

quod eam aut griphum aut griphi certe simillimam esse mihi persuadeo, quae sententia etiam eo probatur, quod Athenaeus de griphis disserens eam commemorat. Quam quaestionem miror viros doctos qui de grammaticae tragoediae ratione atque natura scripserunt non intentius curasse; *) haec enim mihi res maxime idonea esse videtur, qua his tenebris lux praeferri possit.

Sed momenti alicujus est atque disputationem nostram valde adjuvabit enucleavisse, quid griphus sit quaeque diversa ejus genera reperiantur. Griphi notio diversa fuisse videtur ab aenigmate (cf. Lucian Pseudolog. § 32), quorum de discrimine a Polluce VI 107 haec disputantur: „*τῶν μέντοι συμποτικῶν αἴνιγμα καὶ γρῖφος, τὸ μὲν παιδιὰν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν*“: diversa ab his sunt, quae ap. schol. ad Aristid. (p. 508) leguntur: „*γρῖφος δέ ἐστιν οὐχ, ὡς ἔνιοί φασι, ταὐτὸν τῷ αἰνίγματι· διαφέρουσι γάρ, ὅτι τὸ μὲν αἴνιγμα ὁμολογεῖ τις ἀγνοεῖν, τὸν δε γρῖφον ἀγνοεῖ δοκῶν ἐπίστασθαι, οἷον αἴνιγμα μέν ἐστι τὸ τί τρίπουν; τί τετράπουν;*“ *ἐνταῦθα δῆλον τὸ ἐρώτημα: γρῖφος δὲ, οἷον Ἕκτορα τὸν Πριάμου Διομήδης ἔκτανεν ἀνήρ. ἐνταῦθα δοκεῖ μὲν εἰδέναι τὸ ῥηθὲν, ἀγνοεῖ δὲ, ὅτι Διομήδης ἦν ἀνὴρ ὁ Ἀχιλλεὺς*“ *κ. τ. λ.* Pugnare videtur cum scholiastae definitione quod ab Athenaeo (452 d—e) sub aenigmatis nomine adfe-

*) Adferam, ne immodestus esse videar, quae de hac re in virorum doctorum libris scripta reperiantur: Hermannus quidem in sermone tantum griphum inesse putat, de quo sic judicat: „et griphus (nam de griphis disserens haec scribit Athenaeus) in eo positus est, quod si singulae vocales ordine pronuntiantur non ante vocalis ω quae ultima est in finem versus incidit, quam in versu septimo i. e. omnibus vocalibus duodecies repetitis: in his septem versibus hoc quoque notabile est, quod nullus pes eidem pedi in reliquis versibus similis est, et quotumcunque pedem per omnes septem versus consideres, in eo omnes septem vocales bis scriptae reperiuntur“, Welckerus de hac quaestione prorsus in universum disputat: Am meisten Verwandtschaft hat jene (intellegas grammaticam tragoediam) mit den Arten von Griphen selbst, welche p. 448 c. beschrieben werden, Uebungen im Finden gewisser Worte und Personen nach gewissen Buchstaben und Silben u. s. w.

runtur haec problemata: „*καρδίαν μὴ ἐσθίειν ἀντὶ τοῦ ἀλυπίαν ἀσκεῖν, πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν*“ *ἀντὶ τοῦ τεθυμωμένον ἄνδρα μὴ ἐριδαίνειν*, „*ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν*“ *ἀντὶ τοῦ πᾶσαν πλεονεξίαν φεύγειν καὶ στυγεῖν, ζητεῖν δὲ τὸ ἴσον. κ. τ. λ.* Quae omnia si scholiastam sequamur griphi nobis adpellandi sunt, quippe quae duplicem sententiam habeant, apertam nempe, quae primo obtutu in oculos omnium incurrit, et latentem quandam ac reconditiorem, quae non a quolibet sentitur.

In haec igitur problemata cadit quod de griphorum notione supra ille statuit, ut nescientes nos intellegere eos nobis persuadeamus. Sed ex alio loco apparet Athenaeum inter griphum et aenigma nullum discrimen fecisse; perpende enim quae ibid. 449 d—e leguntur: *καὶ Ἄλεξις δ' ἐν Ὕπνῳ τοιούτους γρίφους προβάλλει: οὐ θνητὸς οὐδ' ἀθάνατος, ἀλλ' ἔχων τινὰ σύγκρασιν, ὥστε μήτ' ἐν ἀνθρώπου μέρει μήτ' ἐν θεοῦ ζῆν, ἀλλὰ φύεσθαί τ' ἀεὶ καινῶς φθίνειν τε τὴν παρουσίαν πάλιν, ἀόρατος ὄψιν γνώριμος δ' ἅπασιν ὤν*“. Ad quod is cui griphus proponitur sic respondet: *παίζουσα χαίρεις ὦ γύναι μ' αἰνίγμασιν.* apertum igitur est Athenaeum omnem horum duorum verborum delectum atque discrimen sustulisse: neque vero id griphi proprium esse ille censet, ut „*σπουδήν*“ habeat; quod contra griphum problema ludicrum nominat: dicit enim 448 c.: „*γρῖφος πρόβλημά ἐστιν παιστικὸν προστακτικὸν τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον;* quibus adde quod 452 e de Dromea dicit: „*ἔπαιζε γρίφους*“: id autem ab Athenaeo in griphi definitione praesertim premitur, quod difficilis sit solutu; quod etiam confirmatum videmus a Suida s. v. „*γρῖφος: τὸ δίκτυον. λέγεται δὲ καὶ ὁ δύσκολος καὶ συμπεπλεγμένος λόγος ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον*“ (cf. Hesych. s. v., Herodian epim. p. 16, schol. in Villois. anecdot. vol. II. p. 171, Eustath. ad Il. p. 884.).

Ceterum veteres diversa griphorum genera dignoscebant: Clearchus septem extitisse statuit, quamquam in distinguendis eis non adcurate ac severe versatus

est, (cf. Casaubon. ad Athen. 479); mihi quidem ex tota griphorum multitudine, quam Athenaeus in fine libri decimi adfert, duo diversa genera sejungenda esse videntur, inter quae eadem discrimina intercedunt quae inter griphum et aenigma schol. ad Aristid. intercedere statuit. (vid. sup.): alterum enim genus est eorum in quibus problema aliquod solvendum alicui proponitur, ad quem ordinem ille Alexidis de somno griphus, quem supra adscripsi, referendus est; alterum continetur dictis quae non propria sed recondita quadam atque abstrusa sententia accipienda sunt. Huc pertinet illud Callisthenis (452 a), ubi Hippodamus, qui ab hostibus circumsedetur, praeconem Lacedaemoniorum matri pronuntiare jubet, ut intra decem dierum spatium feminam illam, quae in Apollinis templo affixa haereat, solvendam curet, cum tempore illo praeterlapso ea omnino non solvenda sit: ubi sub feminae nomine intellegenda est famis imago, quae in templo Apollinis servabatur. Indicare igitur ille volebat Lacedaemoniis tantam inopiam rei frumentariae in urbe esse, ut non diutius ea quam per decem dies sustineri posset. Sed ut revertamur tandem unde profecti sumus, persuasum mihi est grammaticam tragoediam griphum esse, et eum quidem, qui secundo eorum, quae statuimus, generi adscribendus sit. *)

Sed de hac re postea interiorem disputationem instituemus; nunc nobis demonstrandum erit, unde ea de-

---

*) Duabus illis causis, quibus supra demonstrare conatus sum grammaticam tragoediam griphum esse, nunc adjiciam cunctabundus illam, quod grammatica tragoedia incipitur verbo „ἔστι“, quo haud raro griphos incipi videmus: conferas qui ab Athenaeo adferuntur griphi 449 e—f.

„ἔστι λαλῶν ἄγλωσσος, ὁμώνυμος ἄρρενι θῆλυς“ κ. τ. λ.

ib. 450 b.

„ἔστιν ἄγαλμα βεβηκὸς ἄνω, τὰ κάτω δὲ κεχηνός.“ κ. τ. λ.

ib. d.

ἔστι τις ὃς τὰ μὲν ὄντα διδοὺς οὐκ οἶδε δεδωκώς. κ. τ. λ.

ib. f.

ἔστι φύσις θήλεια βρέφη σώζουσ᾽ ὑπὸ κόλποις. κ. τ. λ.

sumpta sit; nam hoc puto unumquemque primo obtutu perspectum habere eam non per se absolutam esse, sed totius cujusdam partem fuisset. An vero tragoediam, quae parum adcurata computatione facta centum fere et triginta versus continet totum esse ducamus? equidem non adducor, ut hoc credam: accedit alia dubitatio, qua moveor: grammatica tragoedia composita esse dicitur a Callia, qui, cum ejus aetas Strattidis commemoratione ab Athenaeo significetur, idem fuisse videtur qui comicus (cf. Schweigh. ad Athen. 276, Meinekius hist. crit. com. gr. 213 sqq.). jam vero quid sentis? mirarisne mecum comicum Calliam tragoediam dici composuisse? (cf. Bernhardyus hist. litt. gr. II. 2, 25 et 27). Sed apage istas a me quaestiones atque dubitationes! faciamus quod rex ille olim fecisse narratur (quod bona nobis omnium venia dictum sit) nodum ense dissecemus! puto atque affirmare audeo tragoediam nostram griphum esse, qui Calliae comoediae alicui intextus fuerit; quam conjecturam si a me quaeris unde faciam, respondeo ex inductione: non pauci enim griphi in fine libri decimi ab Athenaeo adferuntur, qui e comoediis desumpti sunt. respicias, quaeso, qui Alexidis, Antiphanis Diphili griphi ab eo commemorantur (449-452.).

Jam vero alia quaestio attingenda est: vides griphorum, qui ab Athenaeo adferantur fere omnium solutiones additas esse: sic in eo qui de somno ab Alexide compositus est (vid. sup.) is cui griphus solvendus proponitur inducitur rogans: „*τίς οὖν τοσαύτην παῖς ἔχων ἔσται φύσιν*“ tum alius griphum solvens respondet haec: „*ὕπνος βροτείων ὦ κόρη παυστὴρ πόνων.*“ Solvuntur griphi, immo vero adcuratissime haud raro explicantur, cujus rei exemplum habemus ib. 449 f: interdum etiam fit, ut falsa griphi solutio, quam quis periclitatus est corrigatur, quod accidit in eo gripho, quem Athenaeus ex Antiphanis Sappho adfert. (cf. 449f—451b), quem locum integrum adponam, cum ratio griphorum solvendorum exinde dilucide cognosci possit:

„ἔστι φύσις θήλεια βρέφη σώζουσ' ὑπὸ κόλποις
αὑτῆς. ὄντα δ' ἄφωνα βοὴν ἵστησι γεγωνὸν
καὶ κατὰ πόντιον οἶδμα καὶ ἠπείρου διὰ πάσης
οἷς ἐθέλει θνητῶν· τοῖς δ' οὐδὲ παροῦσιν ἀκούειν
ἔξεστιν· κωφὴν δ' ἀκοῆς αἴσθησιν ἔχουσιν"

quem griphum aliquis inducitur sic solvens:

„ἡ μὲν φύσις γὰρ ἣν λέγεις ἐστὶν πόλις,
βρέφη δ' ἐν αὑτῇ διατρέφει τοὺς ῥήτορας.
οὗτοι κεκραγότες δὲ τὰ διαπόντια
τἀκ τῆς Ἀσίας καὶ τἀπὸ Θρᾴκης λήματα
ἕλκουσι δεῦρο. νεμομένων δὲ πλησίον
αὑτῶν κάθηται λοιδορουμένων τ' ἀεὶ
ὁ δῆμος, οὐδὲν οὔτ' ἀκούων οὔτ' ὁρῶν."

hanc autem propositam solutionem falsam esse Sappho hisce verbis declarat:

Σ. „(οὐδὲν λέγεις) πῶς γὰρ γένοιτ' ἂν ὦ πάτερ,
ῥήτωρ ἄφωνος; Β. ἢν ἁλῷ τρὶς παρανόμων.
Σ. (παίζεις ἔχων) Β. καὶ μὴν ἀκριβῶς ᾠόμην
ἐγνωκέναι τὸ ῥηθέν. ἀλλὰ δὴ λέγε."

jam sequitur vera solutio, quam Sappho hisce verbis indicat:

„θήλεια μὲν νύν ἐστι φύσις ἐπιστολή,
βρέφη δ' ἐν αὑτῇ περιφέρει τὰ γράμματα
ἄφωνα οντα, ταῦτα τοῖς πόρρω λαλεῖ
οἷς βούλεθ'· ἕτερος δ' ἂν τύχῃ τις πλησίον
ἑστὼς ἀναγιγνώσκοντος οὐκ ἀκούσεται."

Vides, inquam, quam adcurate Athenaeus in solvendis griphis saepe versetur; igitur non poteris mihi non concedere suspicari licere etiam nostro gripho solutionem additam esse. At in Athenaei narratione, quae extat, inquies, vestigium hujus rei non adest. Adest profecto, quamquam non in omnium conspectu positum est.

Sed ad praeferendam his tenebris facem altius repetere opus est: conemur nunc imaginem quam de Athenaei narrationis origine animo concepimus proponere: Calliam centum illos et triginta versus, quibus gram-

matica tragoedia continetur, comoediae suae cuilibet inseruisse puto nulla nimirum commemoratione facta figmentum suum aut tragoediam revera repraesentare, aut sic accipiendum esse: volebat autem procul dubio sub ludo illo literario a spectatoribus tragoediae imaginem intellegi.

Atque in eo demum griphus positus est, quod quae proprie exercitationes videntur esse a magistra discipulisque institutae, interiore quadam atque recondita sententia tamquam tragoedia intellegenda sunt. Spectatores autem quin consilium poetae senserint vix ambigi potest: ad hoc enim intellegendum eos et similitudo, quam inter veram tragoediam et Calliae ludum interesse supra demonstravimus et, quod probabile mihi quidem esse videtur, comoediae ipsius, cui griphus ille insertus erat, sententiarum nexus ducebat.

Sed jam pergamus in explicanda Athenaei narrationis origine atque ad Clearchum progrediamur. Clearchus sive ipsum Calliae ludum legisse, sive alio aliquo ex libro notitiam ejus hausisse putamus, Clearchus igitur eum griphum esse intellexit, quare eum suis *περὶ γρίφων* libris adscripsit: intellexit etiam quae sententia griphi esset: quare dicit versus illos grammaticam tragoediam adpellatam esse. Ergo in his demum explicationibus, quas Clearchum grammaticae tragoediae adjecisse supra exposuimus, griphi nostri solutio posita est. explicationes vero illas num integras Athenaeus nobis servaverit nescimus; suspicari tamen licet pro transcribendi ratione, quam Nostri esse supra demonstravimus, eum non tam nova addidisse, quam plura omisisse. Sed jam ad finem hujus disputationis pervenimus: unum tamen restat. ut verba explicentur, quae in Athenaei narratione *ῥῆσιν φωνηέντων* proxime antecedunt: „*ἵν' ἡ τοῦ ποιήσαντος ὑπόκρισις σώζηται κατὰ τὴν δύναμιν.*“ Hermannus hunc locum sic interpretatus est: „in ista recitatione cur dicat Athenaeus distinguendas esse personas, *ἵν' ἡ τοῦ ποιήσαντος ὑπόκρισις σώζηται κατὰ τὴν δύναμιν*, nunc clarum est. Nam etsi plerumque facile est in recitandis colloquiis, si *παραγραφαί* i. e. notae personarum adscriptae sunt, distinguere personas, est ta-

men hoc diffiicillimum, ubi singulae personae singulas syllabas pronuntiant. Quare quod dicit Athenaeus *κατὰ τὴν δύναμιν*, quod aliter inepte addidisset, necessario adjiciendum erat". Ab Hermanno in eo dissentio, quod vocalium seriem a duabus discipulis recitatam esse puto ita, ut eae singulas syllabas una pronuntiarent; hanc autem recitationem legendo imitari non facile esse unusquisque intelleget.

Atque haec sunt quae de natura grammaticae tragoediae evolvere mihi contigit: disputatione autem nostra id effecisse nobis videmur, ut jam certiorem quandam imaginem liceat effingere, quae hisce fere verbis videtur posse adumbrari: Grammatica quae adpellatur tragoedia griphus est a Callia comoediae alicui intextus. in hoc gripho sub ludo literario tragoediae imago describitur. solutio griphi in ipsa Athenaei narratione posita est.

Caput III.

De consilio grammaticae tragoediae.

Sic via quasi praemunita nihil impedit, quominus ad tertiam quam supra posuimus Athenaei narrationis partem aggrediamur, ubi Sophocles et Euripides ad grammaticae tragoediae normam in tragoediis suis quaedam novavisse dicuntur. Euripides enim[1], ut Athenaeus narrat, non modo suspectus est totam Medeam inde fecisse, sed etiam eandem melodiam eo transtulisse dicitur: quo audito Sophocles carmen metro dividere et in Oedipo (Rege) sic facere ausus esse traditur.

„*ἐγὼ οὔτ᾽ ἐμαυτὸν οὔτε σ᾽ ἀλγυνῶ. τί ταῦτ᾽*
ἄλλως ἐλέγχεις;

Sophocles igitur id novasse contenditur, ut apostrophum in fine trimetri admiserit. Alia ac diversa Athenaeus

(276a) de eadem re profert dicens Euripidem ad grammaticam tragoediam melodiam et dispositionem Medeae, Sophoclem Oedipum composuisse: ex hac igitur varietate disputationis conjecturam facere licet Athenaeum ea quae de imitatione grammaticae tragoediae protulerit plane non intellexisse: alioquin enim plane non potest intellegi, cur quem hic apostrophi licentiam, quae in minutiis versatur, ad Calliae exemplum sibi indulsisse ostendat, eundem illic totum Oedipum ad grammaticam tragoediam composuisse demonstret.

Sed omnino falso mihi Noster disputasse videtur quae de imitatione grammaticae tragoediae declarat: et primum quidem temporis ratio obstare videtur, quominus verbis ejus credamus. Euripidis Medea enim Pythodoro praetore h. e. Ol. 87. 1. docta est; Sophoclis Oedipus Rex post pestiferum morbum Atticam terram devastantem compositus esse videtur (cf. Bergkius l. l.). Ex hac igitur computatione colligitur grammaticam tragoediam certe ante Ol. 87. 1 scriptam esse, quod quominus statuamus id obstare videtur quod ea ionicis literis exarata est, quarum usus Euclide demum praetore h. e. XCIV 2 legem ferente Archino publica auctoritate confirmatus est. Sed hoc non revera obstat: ionicae literae enim antequam publico usu receptae sunt dudum vulgari consuetudine terebantur. (cf. Bergkius l. l.)

Magis Athenaei sententiae id obstat quod apostrophi licentia in fine trimentri commissa semel in Sophoclis Antigona (cf. v. 1031) occurrit; quod contra Athenaei narrationem pugnat, cum Antigona jam Ol. 84, 3. docta sit (cf. Bernhardyus hist. litt. gr. II. 314). Defenditur quidem eo quod Sophoclis Antigona iterum edita esse videtur: Satyrus enim in vita Sophoclis Antigonam sive lectitatam sive actam causam mortis poetae fuisse tradit (cf. Boeckhius clariss. de gr. tr. pr. 138 sqq.); at quod in Philoctete et Trachiniis, quas fabulas Sophocles in senecta aetate fecisse videtur, nullum apostrophi vestigium videmus, poëta posteriore aetatis tempore ab apostrophi licentia omnino se abstinuisse putandus

est: itaque non verisimile mihi esse videtur Sophoclem novae Antigonae editioni apostrophum immiscuisse.

Postremo certissima argumenta petere licet ex ipsius grammaticae tragoediae quam supra proposui imagine. Existimo enim vix ac ne vix quidem cogitari posse Sophoclem et Euripidem tale figmentum, qualem grammaticam tragoediam esse supra ostendimus, exemplum componendarum tragoediarum secutos esse: an serio putas haec maxima artis tragicae lumina griphum, qui in ludicris versetur, imitata esse? Hoc mihi quidem a natura atque ingenio duumvirum prorsus abhorrere atque recedere videtur.*) Videmus igitur Athenaei disputationem claudicare: qua re firmatur id quod supra ostendimus Athenaeum eam narrationis partem, ubi de imitatione tragicorum agat, invita Minerva composuisse. Verum ut dicam quod conjicio, utque ea commemorem quibus mea sententia nititur: non arbitraria puto Hermannum proferre quod suspicetur Calliam grammatica tragoedia composita tragicos irridere voluisse cum propter *τραγικὸν λῆρον* tum propter nimium in versibus exaequandis artificium, quamquam hae res, quas Hermannus significat, Euripidem maxime spectare videntur.

Verum enim vero id jam in aperto est tantum abesse, ut tragici Calliae ludum imitati sint, ut Callias grammaticam tragoediam ad illorum imitationem fecisse videatur. Callias enim cum tragicos perstringere vellet ea quae illi novavisse atque peccasse viderentur tragoediae suae intexuit ita, ut eam quasi in catalogum vitiorum permutaret. Sed antequam evolvere conor quae nova atque insolita in grammatica tragoedia reperiantur, liceat mihi adferre quae Heigelius de explicationum, ut ita dicam, Clearchearum origine conjecerit: *„Und es wird mir nun*

---

*) Aliter video Bergkium de hac re judicare: putat enim grammaticam tragoediam Athenienses, qua essent animi alacritate atque levitate, novitatis specie ad imitandum incitavisse. At, ut concedam Athenienses Calliae ludum comprobasse, nescio an comicum ipsum illi dignum habuerint quem imitarentur.

schon immer deutlicher und deutlicher, dass auch nicht einmal Klearchus das was er καλουμένη γραμματικὴ θεωρία und ἐπιγραφομένη γραμματικὴ τραγῳδία nennt, selbst gesehen, sondern dass der Räthselphilosoph Forschungen andrer Männer über die Veränderung der Tragödie (cf. Aristot. d. A. P. c. 5) *vor Augen gehabt habe; und auf diese Forschungen weiset denn auch noch der aus Clearchus und Athenäus mit seinem „ὑπονοήσειέ τις“* (454 b) *seinem „ὥστε ὑπονοεῖσθαι“ seinem „φανερὸν εἶναι“ „ὡς ἔοικεν“ „φασίν“ ganz bestimmt hin.“* Nescio an phantasia virum doctum fefellerit: nam ex eis quae Aristoteles (l. l.) adfert „*αἱ μὲν οὖν τῆς τραγῳδίας μεταβάσεις, καὶ δι' ὧν ἐγένοντο, οὐ λελήθασι*“ nullam possumus conjecturam capere de origine disputationis Clearcheae: accedit quod nulla admodum conjecturae illius necessitas adest: Clearchus enim, quem Aristotelis discipulum fuisse scimus (cf Athen. 275b) quantum ad aetatem Calliae ludum ex sua ipsius cognitione scire poterat: verba autem „*ὑπονοήσειέ τις*“ „*ὥστε ὑπονοεῖσθαι*“ „*φανερὸν εἶναι*“ „*ὡς ἔοικεν*“ „*φασίν*“ quae Heigelius ad confirmandam suam conjecturam ex Athenaeo adfert, nil nisi modestiam scriptoris probant: sic enim omnino loqui solent qui modeste aliquid affirmare volunt.

Revertamur tandem, unde profecti sumus, ad nova quaedam atque insolita grammaticae tragoediae commemoranda, qua in re id mihi propositum est, ut ab Euripidis novationibus plane me abstineam omneque studium in Sophoclem conferam. Quae cum ita sint cumque hos fines terminosque constituerimus, extra quos disputatio nostra non egrediatur, apertum jam omnibus esse arbitror nunc nobis de solo prologo grammaticae tragoediae agendum esse: nam quod Sophoclem novasse Athenaeus narrat, dico elisionem in fine trimetri admissam, semel in prologo existit, si quidem eum quomodo praeceptum est (vid. supra) ter repetimus. Jam igitur totam quam mihi persuasi prologi fuisse compositionem evolvam.

ἔστ᾽ ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα· θεοῦ πάρ᾽ εἶ
Ζῆτ᾽ ἦτα, θῆτ᾽ ἰῶτα, κάππα, λάβδα, μῦ,
νῦ, ξῖ, τὸ οὖ, πῖ, ῥῶ, τὸ σάν, ταῦ ὖ παρόν,
φῖ, χῖ τε τῷ ψῖ εἰς τὸ ὦ: ἔστ᾽ ἄλφα βῆ-
τα, γάμμα, δέλτα, θεοῦ πάρ᾽ εἶ, ζῆτ᾽ ἦτα, θῆτ᾽
ἰῶτα, κάππα, λάβδα, μῦ, νῦ, ξῖ, τὸ οὖ,
πῖ, ῥῶ, τὸ σάν, ταῦ, ὖ παρὸν, φῖ, χῖ τε τῷ
ψῖ εἰς τὸ ὦ· ἔστ᾽ ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλ-
τα θεοῦ πάρ᾽ εἶ, ζῆτ᾽, ἦτα θῆτ᾽ ἰῶτα, κάπ-
πα, λάβδα, μῦ, νῦ, ξῖ, τὸ οὖ, πῖ, ῥῶ τὸ σάν,
ταῦ ὖ παρὸν, φῖ, χῖ τε· τῷ ψῖ εἰς τὸ ὦ.*)

Prologum igitur si contemplatus eris atque perpenderis plura in eo inesse intelleges, quae contra leges metricas facta sint: et primum quidem elisio finalis syllabae a vocali incipientis versus commemoranda est, quam in quinto versu admissam esse videmus, quamque a ratione trimetri jambici abesse inter omnes constat. Haec enim res natura sua eorum versuum, qui systematis comprehensi sunt, propria est; aliena autem ab eis quae *κατὰ στίχον*, quod grammatici dicunt, sibi succedunt (cf. Herm. de graecae linguae dialectis); horum enim unus quisque totum quiddam efficit, quod a similibus silentio, quod extra rhythmum positum in fine versus veteres semper observabant, severe disjungitur (cf. Boeckhius de metris Pindar. XIII); elisione autem in fine versus admissa duorum versuum rhythmi tam arcte conjungun-

*) Ab hac prologi compositione videas quam diversa sit ea quae in Ephem. Jenens. l. l. adfertur:

ἔστ᾽ ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα, ἦτα θῆ-
τα· θεοῦ γὰρ εἶ γ᾽ ἰῶτα, κάππα, λάβδα, μῦ,
νῦ, ξῖ, τὸ οὖ, πῖ, ῥῶ, τὸ σάν, ταῦ, ῦ, παρόν
φῖ χῖ τε τῷ ψῖ εἰς τὸ ὦ. ἔστ᾽ ἄλφα, βῆ-
τα, γάμμα, δέλτα, ἦτα, θῆτα θεοῦ γὰρ εἶ γ᾽·
ἰῶτα, κάππα, λάβδα, μῦ, νῦ, ξῖ, τὸ οὖ,
πῖ, ῥῶ, τὸ σὰν, ταῦ, ῦ, παρὸν φῖ χῖ τε τῷ
φῖ εἰς τὸ ᾧ. ἔστ᾽ ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα,
ἦτα, θῆτα· θεοῦ γὰρ εἶ γ᾽. ἰῶτα κάπ.,
πα, λάβδα, μῦ, νῦ, ξῖ, τὸ οὖ, πῖ, ῥῶ, τὸ σὰν,
ταῦ, ῦ, παρὸν φῖ χῖ τε τῷ ψῖ εἰς τὸ ω.

tur, ut quasi in unum coalescant. Haec conjungendi vis, quae in apostropho inest, nescio an alibi magis perspiciatur, quam in usu elisionis earum vocum, quae in duas vocales desinunt: harum enim concursus vocalium qui finali syllaba ab incipiente vocali sequentis vocis abjecta relinquitur aures non laedit; in causa autem est artissima illa conjunctio, qua efficitur, ut duae voces quasi ad unius vocabuli ambitum accrevisse videantur (cf. Boeckh. ib. XVII). Addi potest, quod elisio interdum ad tollendam Alexandrinam quae adpellatur incisionem adhibetur (cf. S. Antigon. v. 407 et 8): quamquam conjunctio, quae apostropho adhibito efficitur, non tanta est, ut litera consonans, quae elisione facta relinquitur sequenti vocabulo adscribenda sit, id quod viri docti olim fecerunt (cf. Matthiaeus *ausführl. gr. Grammatik I.* §. 43. ed. III).

Hujus igitur elisionis, quam a natura versus jambici alienam esse videmus, novem exempla apud Sophoclem extant haec:

Oed. R. 29. „*ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καθμεῖον· μέλας δ'*
Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γοοῖς πλουτίζεται.“

ib. 332. „*ἐγὼ οὔτ' ἐμαυτὸν οὔτε σ' ἀλγυνῶ. τί ταῦτ'*
ἄλλως ἐλέγχεις; οὐ γὰρ ἂν πύθοιό μου.“

ib. 785. „*κἀγὼ τὰ μὲν κείνοιν ἐτερπόμην, ὅμως δ'*
ἔκνιζέ μ' ἀεὶ τοῦθ' ὑφεῖρπε γὰρ πολύ.

ib. 791. „*ὡς μητρὶ μὲν χρείη με μιχθῆναι, γένος δ'*
ἄτλητον ἀνθρώποισι δηλώσοιμ' ὁρᾶν.“

ib. 1184. „*ὅστις πέφασμαι φύς τ' ἀφ' ὧν οὐ χρῆν, ξὺν οἷς τ'*
οὐ χρῆν μ' ὁμιλεῖν, οὕς τε μ' οὐκ ἔδει κτανών.“

Oed. Col. 17. „*χῶρος δ' ὅδ' ἱρός, ὡς σάφ' εἰκάσαι, βρύων*
δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου· πυκνόπτεροι δ'
εἴσω.“

ib. 1164. „*σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'*
αἰτεῖν, ἀπελθεῖν τ' ἀσφαλῶς τῆς δεῦρ' ὁδοῦ.“

Ant. 1031. *εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω· τὸ μανθάνειν δ'*
ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγοι.“

El. 1017. „*ἀπροσδόκητον οὐδὲν εἴρηκας· καλῶς δ'*
ᾔδη σ' ἀπορρίψουσαν ἀπηγγελλόμην.“

(cf. Valckenarius ad Eurip. Phoen. 891, Hermannus l. l., Boeckhius de gr. tr. pr., Kuehlstaedtius observationes criticae de tragicor. graecor. dialectis p. 56).*)

Hunc vero elisionis usum, ut taceam de locis aliquot Pindari, qui fortasse emendationis egent, neque ante Sophoclem reperimus (nam quod olim in Iliade ter in theogonia Hesiodi semel legebatur *εὐρύοπα Ζῆν'* ante vocalem sequentis versus nunc recte scribitur *εὐρύοπα Ζῆν* omisso apostropho: *Ζῆν* enim brevior forma est pro *Ζῆνα* cf. Herm. l. l., Lachmannus in Lucret. p. 80 sq.), neque propagatum eum esse videmus: nam qui olim Euripidis (Iph. I. 961.) versus huic classi adscribebatur nunc certa emendatione a falsa elisionis suspicione liberatns est. Unum tamen hujus rei exemplum in tragicis extat, quod cum in fragmento ab Athenaeo servato legatur, non magni mihi momenti esse videtur: est autem Achaei versus ex fabula ejus satyrica quae „Iris" adpellatur desumptus. „...... *λιθάργυρος δ' ὅλπη παρῃωρεῖτο χρίματος πλέα.* (cf. Athen. 451 *d*, Nauckius fragm. tr. gr. p. 582, Bergkius l. l). Hac igitur disputatione id effecisse mihi videor, ut appareat elisionem finalis syllabae revera a Sophocle novatam atque ita comparatam esse, ut Callias haud iniuria illum perstrinxerit; at, ut adferam quae quis in contrariam partem disputare possit, elisio non ubique coniungendi vim habet: sic vides eam diaeresi non officere (cf. Hermannus elem. 33 et 357). Sed haec cum recte disputata sint, tamen sententiae meae non obstant: nostros enim versus coniungendos esse ex eo intellegitur, quod in sexto eorum pede syllaba anceps illicita est (cf. Boeckh. principp., Lachmannus l. l.).

---

*) Ad Sophoclis similitudinem Horatius coniunctionum encliticarum elisionem bis commisit serm. I, 4, 96: „Me Capitolinus convictore usus amico que | A puero est causaque mea permulta rogatus." ib. 6, 102: „Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve | exirem plures calones atque caballi." In his Horatianis versibus ut elisionis usus apud Romanos est, vocales finales cum incipientibus confundendae sunt. Alia huius rei exempla invenies apud Virgilium et Lucilium.

Reliquum est, ut commemorem versibus nostris ex iustae recitationis observatione excusationem petendam esse: observatur enim apostrophum non admissum esse, nisi interpunctione non longe praegressa, vel paulo post initium sequentis versus secutura; quare cum duorum versuum ordines una perpetuitate coniuncti sint, pessime sensui consuleret, qui in fine versus magis quam ubi interpunctiones jubent voce consistendum putaret. (cf. Herm. elem. doctrin. metric. 36 et 118 sqq.):

Venio ad rem aliam: constat hanc legem a veteribus servatam esse, ut finis sententiae quantum fieri posset cum fine versus conveniret (cf. Boeckh. d. metr. Pind. I, XIII.); at videre licet sententiam modo inceptam haud raro desinente rhythmo interrumpi, idque in dictionibus quae ad grammaticam rationem arctissime cum sequentibus conjungendae sunt: quam rem non negligentiae poetarum imputandam esse e multitudine exemplorum elucet; quod contra contendendum est eos hac insolenti versuum structura id efficere voluisse, ut aliqua pars sententiae cum majore vi efferatur. Nec dubitari potest, quin versus incipiens, quem omnino majus quoddam pondus habere constat, cum majore vi efferatur, siquidem sub finem antecedentis versus nova aliqua sententia dictione quae ad sequentem versum spectet inducitur: sic enim efficitur, ut expectatio spectatorum (nam ad aurium aestimationem tragoediae maxime compositae sunt) augeatur: unusquisque enim scire vult, quomodo sententia, quae modo incepta pausa in desinente rhythmo facta interrumpitur, finiatur. *)

---

*) Hoc pingendi, ut ita dicam, poëtarum studium etiam alias saepe in tragoediis reperitur: atque ut unum e multis adferam, apertissimum mihi Aeschyli consilium esse videtur in Pers. 485:

„. . . . . ἔνθα δὴ πλεῖστοι θάνον
δίψῃ τε λιμῷ τ'.“ Hic igitur poeta turpem mortis rationem quam Persae subierint maxime efferre vult. Eadem ratio est vv. 493 et 94 et Choeph. 351. Commemorandum hic etiam est Homericum illud: „αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιείς,
βάλλε. (cf. H. Il. a, 51.)

Huc referendi sunt multi illi loci, ubi conjunctiones, vel pronomina et adverbia relativa, vel interrogativa in fine versus posita sunt, quarum particularum quod adjecerim catalogum neminem confido aegre esse laturum:

ὅτι

Aesch. Prom. 261. *δόξει δὲ πῶς; τίς ἐλπίς; οὐχ ὁρᾷς ὅτι ἥμαρτες.* (cf. ib. 325, 379, 955; S. Aj. 678; Ant. 98; Oed. C. 666; Oed. R. 59; Phil. 325; Tr. 439).

ὥς

S. Oed. Col. 1136.

οὕνεκα

Tr. 934; Ph. 232.

ἵνα

Aesch. Prom. 61, 794, 831; S. Oed. C. 503, 1545.

ὅπως

Aesch. Pr. 464; S. Aj. 577; Oed. R. 1005; Tr. 335.

ἐπεί

Aesch. Prom. 386; S. Aj. 490; Oed. C. 566; Oed. R. 326, 376, 433, 705; Tr. 457, 732.

ἡνίκα

S. Aj. 1273.

ὅταν

S. Oed. C. 1536; Oed. R. 673; Tr. 451.

Interrogatio in fine versus incipitur:

Aesch. Ag. 579. *σπεύσω πάλιν μολόντα δέξασθαι. τί γὰρ γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν.*

Choeph. 688; Prom. 83, 338, 504, 714; S. Ph. 343.

Sententia relativa in fine versus incipitur:

S. Aj. 1295. *αὐτοὶ δὲ μητρὸς ἐξέφυς κρήσσης, ἐφ' ᾗ λαβὼν ἐπακτὸν ἄνδρ' ὁ φιτύσας πατήρ.*

Oed. R. 298, 314, 632, 1264, 1252.

οὗ

Aesch. Pers. 481.

ὅπου

S. Phil. 443.

ὅποι

S. Phil. 482.

Non minus ab usu abhorret, quod interdum pronomina *σύ* vel *ἐγώ* in fine versus reperiuntur, quibus pronominibus *δέ* particula addita esse solet.

Aesch. Pers. 743. *καλὴ πρὶν ὅρμιν ναῦν θρασυνθῆναι. σὺ δὲ*
φρόνει μὲν ὡς ταρβοῦσα μὴ ἀμελεῖν θεῶν,

ib. 43. Pers. 475; S. Phil. 1032.

Haec igitur atque similia haud raro in duumvirum tragoediis occurrunt: unum tamen extat in hoc genere quod Sophocles primus sibi indulsit, dico articulum desinente rhythmo a nomine suo disjunctum; quod tamen saepissime ita fit, ut particulae vel adjectiva intermittantur, (cf. Hermannus ad Ant. 405): Velut in S. Oed. Col. 290.

τότ' εἰσακούων πάντ' ἐπιστήσει· τὰ δὲ
μεταξὺ τούτου.

ib. 265, 351, 577; Aj. 1015; Ant. 453; El. 619; Oed. R. 553, 955, 1056; Tr. 383; Phil. 422. Bis tantum articulus solus sine additamento in fine versus reperitur:

Ant. 409. *πᾶσαν κόνιν σήραντες, ἣ κατεῖχε τὸν*
νέκυν.

Phil. 263. *ὁ τοῦ Ποιάντος παῖς Φιλοκτήτης, ὃν οἱ*
δισσοὶ στρατηγοί.

Ad hanc igitur Sophoclis novationem referendum esse puto, quod grammaticae tragoediae prologi versus septimus dativo articuli „*τῷ*“ finitur.*) Sed jam opus est ea commemorare quae maxime inter Aeschyli et

---

*) Eadem conditio est eorum versuum, in quibus praepositio aliqua in fine versus posita est:

Phil. 626. *οὐκ οἶδ' ἐγὼ ταῦτ'. ἀλλ' ἐγὼ μὲν εἶμ' ἐπὶ*
ναῦν.

Oed. R. 555. (cf. Herm. ad Aesch. Eum. 236—38.). Huic regulae obstare videtur, quod Aesch. Ag. 996 „*μετά*“ praepositio in fine versus reperitur: puto tamen praepositioni h. l. excusationem petendam esse ex antecedente adjectivo „*πολλῶν*“: nec offendendum est in Agam. 282: *ὑπερθοροῦσα πεδίον· Ἀσωποῦ δίκην*
φαιδρᾶς σελήνης.

„*δίκην*“ enim praepositio defenditur eo quod proprie substantivum est.

Sophoclis scribendi rationem intersunt: constat Sophoclem in unius versus ambitu plures saepe personas loquentes inducere: unde fit, ut versus in plures impares partes dividantur. Hujus rei tot exempla in tragoediis Sophocleis extant, ut satis habeam, unum e multis adferre: Oed. Col. 538. *Χο.* *ἔρεξας.* Oed. *οὐκ ἔρεξα.* *Χο.* *τί γάρ;* Oed. *ἐδεξάμην.*

Hic igitur versus in quatuor partes divisus est: quod alienum est ab Aeschylo, qui tantum abest, ut in uno versu plures loquentes faciat, ut, cum aequabilitatem atque symmetriam maxime amet, similes sententias simili versuum numero comprehendendas curet. Cujus rei exemplum perspicitur in Prometheo, ubi Jus et Promethei dialogus bis a choro quatuor versibus interrumpitur (cf. Prom. 632 sqq. et 783 sqq.).

Jam vero senties, quo disputationis meae summa redeat; grammaticae tragoediae plures versus (cf. prolog. vv. quartus et octavus et *ῥήσεως* v. tertius) ad Sophoclis normam constructi sunt, quod Callias eo consilio fecisse mihi videtur, ut Sophoclis novationem imitaretur atque perstringeret: et hoc demum Calliae consilium in causa est, cur Athenaeus duobus locis moneat grammaticae tragoediae versus *κατὰ τὰς παραγραφάς* legendos esse.

Restat, ut duo moneam quae in Calliae prologo contra leges metricas peccata sunt: et primum quidem dictio „*βῆτα*“ commemoranda est, quae inter quartum et quintum versum divisa est.*) Hoc abest a natura horum versuum, quos perfecto vocabulo finiri opus est, quam legem veteres non nisi certis conditionibus neglexerunt, quarum h. l. nullam adesse video. (cf. Boeckh. l. l. XIII.) Alterum vitium in illicito anapaesti usu versatur: anapaestus autem bis in prologo occurrit: in tertio quinti et in primo pede noni versus. Horum anapaestorum primi duo ad liberiorem comicorum usum referendi sunt, absunt a severiore tragicorum arte, quae

*) Idem in ov. octavo et nono occurrit.

in his sedibus anapaestum non nisi in nominibus propriis et usque ad Ol. LXXXIX. (cf. Herm. epitom. 149.), in eis tantum admisit, quae aliter versibus plane aptari non possent (cf. Herm. ep. §. 149).

Alter anapaestus recentioris tragoediae usu defendi potest; antiquiores enim tragici anapaestum in prima sede non admittunt, nisi totus in eadem voce continetur (cf. Herm. elem. 119 sq., epit. §. 149. et 50, Porsonus praef. ad Hecub.). Harum vero duarum rerum, inquies, nullum apud Sophoclem vestigium extat: nullum profecto; sed hoc sententiae nostrae non obstat: comici enim in eorum, quos irridere volunt, personas non modo vera, sed etiam ficta vitia transferre solent. Sic, ut hoc unum obiter moneam, Aristophanes in „nubibus" de Socrate mentitur.

Cum ad finem disputationis meae pervenerim, facere non possum, quin explicem, quam diversa ratio prologi versuum sit. Primorum enim duorum ordines perfecte colligati sunt: in primo versu omnes podicae caesurae, quae in trimetro jambico fieri possunt, adhibentur, in altero fere omnes admissas videmus: diaeresis enim quae post primam dipodiam est elisione sublevatur. Ab his duobus versibus quam diversus sit qui sequitur nemo non videt: in hoc enim versu ubicunque finitur pes, finitur etiam vocabulum, quo efficitur ut pedes disjungantur; asperitas tamen, quae inde oritur tribus podicis caesuris sublevatur. (caesura enim quae in secundo et quarto pede est propter arctissimum vinculum, quo articulus cum substantivo conjunctus est, non sentitur). Progredior ad versum quartum, cujus de fine disputare non opus est, cum ibi prima dipodia primi versus repetatur: in primis duabus vero dipodiis quae disjunctio pedum inest vocum ratione vincitur: „τὲ" enim particula cum antecedente syllaba arcte conjungenda est: item dativus articuli „τῷ" et praepositio „εἰς" cum sequentibus cohaerent.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Ricardus Adolphus Pietzsch Altenburgi Saxonum ante diem octavum Calendas Novembres anni CIƆIƆCCCXXXVI patre Carolo Christiano, matre Albina, e gente Schmidt, quos ambos in vivis esse maximo opere gaudeo. fidei addictus sum evangelicae. XII annos natus Gymnasio Altenburgensi traditus sum, quod Fossius moderatur, vir unice de me meritus, quem ut ceteros quibus usus sum egregios praeceptores gratissimo semper animo colam.

Ineunte anno LVII maturitatis testimonio munitus Jenam me contuli philologicis studiis me dediturus. In hac sede literarum docentes audivi Droysenum, Cunonem Fischerum, Goettlingium, Hasium, Schleicherum, Schleidenum.

Aestivo anni sequentis tempore Bonnam migravi. in hac splendidissima academia cum inde ab eo tempore per ter sex menses eisdem studiis operam navarem optimos nactus sum praeceptores: Brandisium, Jahnium, Langium, Loebellium, Monardum, Ritschelium, Schmidtium, Schopenum, Welckerum. Praesertim autem mihi colendi sunt Ritschelius et Welckerus, quorum benevolentia in seminarium philologicum receptus sum, cujus socius ordinarius fui per unius anni spatium. Autumno anni LIX Bonnam reliqui et paulo post numero civium universitatis Fridericiae Guilelmae Berolinensis rectore ill. Boeckhio adscriptus sum: in hac urbe clarissimorum virorum Boeckhii, Hauptii, Trendelenburgi scholis interfui.

Viris omnibus qui per hos septies sex menses doctrina, adhortatione, suavitate consuetudinis de studiis meis meriti sunt gratiam ago quam possum maximam.

THESES.

I.

Aesch. Suppl. v. 739. (Hermann) sic emendo: ἐς νύκτ᾽ ἀποστείχοντος ἡλίου φίλαι· pro φιλεῖ. in sequenti versu codd. lectio τίκτει retinenda est.

II.

Apud Horatium sat. I. 1, 120. Bentleji conjectura „lippum" non probanda est.

III.

In Soph. Ant. v. 409. (Dindorf):
„πᾶσαν κόνιν σήραντες ἣ κατεῖχε τὸν νέκυν." articulus desinente rhythmo a nomine suo disjunctus offensione caret.

IV.

Clearchus Solensis utrum Cilix an Cyprius fuerit ignoramus.

V.

Philosophiae studium philologicis diligentissime tractandum est.

VI.

Adversarios amandos esse, quod praeceptum Christus dat hisce verbis „ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν" (Matth. c. 5.), iam veteres Graeci docuerunt.